

1200, juliol, 29

*Sentència de Berenguer d'Albussà i Cervià de Montagut en la causa entre Sant Pere de Galligants i Sant Daniel, a l'entorn de drets sobre la capellania de Sant Andreu Salou.*

ASD núm. 59, perg. orig., 180 x 405 mm, carta partida. Còpia: ADG, *Delmes II*, f. 17.

Hac est iudicium datum a Ceruiano de Monteacuto et Bererigario de Albuciano, iudicibus delegatis a Raimundo de Rochabertino, gratia Dei Terrachonensis archiepiscopo, super causa que uertebatur inter Petrum, Dei gratia àbbatem Sancti Petri Gallicàntus et Agnetem, eadem gratia Sancti Danielis abbatissam, de ecclesia scilicet Sancti Andree de Alodio, cuius ecclesie ineditatem capellanie iamdicta abbatissa dicebat ad ius et proprietatem Sancti Danielis pertinere, quam mediètatem dictus abbas Sancto Danieli turbabat siue etiam auferebat, ideoque proponendo iudicis officium iamdicta abbatissa ab abbate sibi restitui postulabat. E contra iamdictus abbas negabat dictam abbatissam siue Sanctum Danielem ius aliquod non habere in iamdicta capellania, immo asserebat omnem capellaniem iamdictam ad ius et proprietatem Sancti Petri plenario iure pertinere, obiciendo etiam .XXX. uel .XL. annorum prescripcionem, ideoque restitutionem fieri non debere negabat. Unde iamdicti iudices iudicauerunt ut uterque quod intendebat probaret. Probàuit tamen abbas Sancti Petri per quosdam testes qui dixerunt se uidisse in ecclesia de Alodio tres capellanos, scilicet R[aimundum] Mironem et Petrum de Angles et A[rnallum] de Constantinis tenentes iamdictam capellaniem uoce Sancti Petri Gallicantus inter hos tres per .XL. uel .L. annos et dantes pro censu singulis armis .C. oua et .I. enssunnam de sagimine Sancto Petra et totidem Sancto Danieli. Interrogati utrum abbas institueret ibi capellanos responderunt institutiones capellanorum se sic non uidisse, et sic, ut dictum est probauit capellaniem de qua agitur ad se pertinere ac prescripcionem se munitum fuisse. Ex aduerso probauit abbatissa per quosdam testes quod Arnallus de Constantinis qui fuit unus ex tribus capellanis supradictis et ultimus tenuit et habuit medietatem iamdicte capellanie nomine Sancti Danielis et quod eam impetrauit ab abbatissa in claustra Sancti Danielis, presente Rodlando abbate Sancti Petri et non contradicente, immo etiam pro eo orante, et sic abbatissa ad preces abbatis et aliquorum proborum uirorum iamdicte capellanie medietatem Arnallo de Constantinis concessit. Idem de .C. ouis et de sagimine dixerunt quod supra, et etiam quod albergam accipiebat ibi abbatissa singulis annis, et sic quoad dominium et temporis interrupcionem nisa est abbatissa sufficienter pro parte sua probare. Et inde est quod auditis allegationibus utriusque partis et instrumentis seu etiam attestacionibus hinc inde diligenter inspectis, iamdicti iudices iudicauerunt medietatem iamdicte capellanie pertinere ad ius et ad proprietatem abbatisse et monasterii Sancti Danielis et institutionem capellanorum debere ibi fieri consensu abbatis Sancti Petri simul et abbatisse Sancti Danielis et in medietate capellanie abbatem Sancti Petri siue monasterium perpetuo condemnauerunt et eam abbatisse et monasterio Sancti Danielis perpetuo adiudicauerunt. In causa illa que inter eos uertebatur de Barufa, sicut aqua discurrit a sumitate montis Barufe usque Sanctum Danielem confirmauerunt

iudicium condam a Bernardo de Fontaniliis datum in specie illius questionis, et sic ab obseruatione iudicii utrosque absoluerunt.

Actum est hoc .IIII. kalendas augusti anno Domini .MCC.

(s. *man.*) Berengarius de Albuziano, iudex ordinarius, Siluensis archidiaconus\*. Ego Ceruianus subscribo\*.

(s. *man.*) Arnallus presbiter, qui hoc scripsit die et anno prefixo.

Extret de: Marquès, Josep M., ed. Col·lecció diplomàtica de Sant Daniel de Girona (924-1300). Barcelona: Fundació Noguera, 1997. 157-158